

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis undecimâ Martii, anni M. DCC. XXXVIII.

M. JOANNE BESSE, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ, à Conſiliis, & Medico Primario, Doctore Medico, Præſide.

An, ingruente in artubus Gangrænâ à causâ internâ, eorumdem Artuum amputatio imperanda?

I.



STATUTUM manet vitam & ſanitatem poſitam in libero ſanguinis circuitu, in eoque conſervando aut reſtituendo totum Medicæ artis miniſterium. Sed quàm longè latèque diffuſa circulationis ſanguinis notitia, quàm vaſtum Medici dominium, non ſolum inferas ex indole & motu fluidorum quæ ſolidas partes alluunt moventque, ſed perluſtra arteriarum & venarum propagines, gyros & divaricationes, diverſum viſcerum ac muſcu-

lorum contextum, membranarum expanſiones, nervorum ſurculos, omniumque partium mollium coalitum & appenſorum oſſium duritiem, figuram, diametrum, poſitionem, connexionem & ordinem. Hæc ſunt artis Medicæ juris & in totum corpus humanum ſanum & morboſum indiviſum imperium ſibi Medecina vindicat. Hæc, tot diverſorum objectorum ratione, varioque reſpectu ad ſtatum corporis ſani aut morboſi, in phyſiologiam & pathologiam diviſa, anatomiam tanquam objectum primarium & immediatum ſubjectum ſupponnit; rurſuſque, ratione diverſorum inſtrumentorum quibus utitur conſervandis aut reſtituendis motibus fluidorum & ſolidorum, in hygieinem & therapeuticam ſubdividitur, therapeuticâque miniſtrantur pharmacia & chirurgia. Hæ ſunt Medicinæ partes ſibi invicem communi vinculo cohærentes, non artes diſtinctæ à Medicinâ quæ labantibus annis diverſos erudivit, qui ſub oculis Medici ac directione, auxiliatrices manus admoverent, illique famularentur, ut qui propriis manibus & operi parcendo, in eruendis abditis morborum cauſis, illiſque feliciter tractandis alacriùs incumberet; non ſecùs ac navis gubernator qui manuali exercitio immunis totum ſubditis creditum opificium ad nutum dirigit. In hoc eminet Medici dignitas & præſtantia, ut naturam auſus in majeſtate contemplari, per quæ corporis ſenſus officiunt, verum & morborum cauſas quæ ſenſus effugiunt, mentis acie & oculis perſcrutando aſſequatur, & ut ſolus ſupremi opificis miniſter ex ſolio judicii ſui, omni œconomiæ animali conſervandæ proſpiciat, ipſiuſque motus aut languentes, aut depravatos, aut abolitos redintegret; hoc vitalium functionum exercitium ut vitæ peculiaris terminus & alterum extremum clauditur illâ partium mollium reſolutione ac corruptione, quâ vitali motu toti communi privantur, morſque ad foras pulſat, citoque depaſcitur corpus, niſi pars mortua à vicinâ ſeparetur; hæc partium mollium corruptio quæ Gangrænæ & Sphaceli nomen audit, nec niſi per gradus diſcrepant, modo ab internâ, modo ab externa cauſâ oritur; neque tamen exiſtimes majorum Artuum amputationem æquo jure imperandam, ſeu Gangræna ab internâ cauſâ, ſeu ab externâ pendeat.

I I.

SANGUIS eſt ſubſtantiâ rubra, globuloſa, bilioſa & lymphatica coaleſcens, cujuſque partes ad mutuam connexionem nituntur, leni fermentationis motu, cordiſque contractione, ac ſolidorum tritu & affrictu fluiditatem tuetur, ac circuitum ſuum per arterias & venas, indeſinenter peragit. Non in fluidi motu, nec fermentationis, conſiſtit vitalis motus, ſed in progreſſionis motu, quo ſanguis ab extremis arteriis tranſit in venas, quo partes quæcumque corporis nutriuntur, movéntur, ſentiunt, functiones ſuas exercent, communique vitâ fruuntur, reparantur ac conſervantur; hinc ſcaturiens lympha per vaſa lymphatica ubique hiantia ſecernitur, nutriendis partibus concreſcenda, dum ſuperſtes in ſanguinis alveum reducitur. Hoc impulſionis motu, ſanguis per arterias alternis contractionibus cordis velut à centro ad partes progreditur, eodemque motu ad cor reducitur, & quâ menſurâ ſanguis ex ventriculis cordis proſilit, eâdem ad auriculas cordis appellit, ſubſtractâ portione ſanguinis & lymphæ, bilis & ſeri, quæ in functionibus animalibus obeundis impenditur & obſumitur; aut quæ nutriendis partibus apponitur, vel, quæ per vaſcula ſecretoria aut excretoria, à ſanguine

secernitur, aut foras eliminatur, vel quæ per corporis habitum formâ vaporis avolat, sanguis à quâcumque causâ remorans in extremis arteriis, obsistit sanguini quolibet cordis contractio, ne propulso & à recto tramite impeditus, ad latera deflectitur ac collaterales ramos implendo, novo & uberiori affluxu congeritur intra fibrarum contextum & quâ mole quâ motu stagnantes sanguinis expensa fibrarum compages in tumorem rubicundum atollitur, hinc phlegmon & eresipelas omnesque tumores inflammatorii, hos comitantur doloris & caloris & pulsationis sensus cum rubore intenso, vigiliâ, anxietate ac persæpè febres, quæ symptomata parit sanguinis stagnatio, quâ tenduntur ac divelluntur fibræ nerveæ, à nisu aut resilitione sanguinis coacti ad latera arteriarum capillarium, ob obices adversantes motui progressivo sanguinis; hinc pulsatio ab arteriarum motu adaucto, renitente obstructione salienti sanguini, vincendæ resistentiæ impari, hinc sistallico fibrarum motu, tensione atque subsultu, nervorum ac spirituum animalium commotione ac arteriarum vibratione morantis in interstitiis sanguinis atritis ac fermentatio major, undè caloris sensus tumoris intentior cum rubore suffuso, estusque febrilis & ægritudo corporis; Lympha similiter ad motum inertior in vasis lymphaticis aut glandulis hœrens pone sequenti obices ponit, fluentique alveo vias intercludit, laxataque fibrarum congeries continuò lymphæ morantis appulsu, in tumorem mollem & pollidum acrescit; hinc œdemata enascuntur. Eâdem lympha in vasis stagnante, secessu phlegmatis densiore factâ, tumor durus & indolens, tactui renitens & schirrus protuberat, rursus lympha alibilis crassior ad salsum acidum aut salsum acre vergens non concrescit nec aglutinatur nutriendis partis, sed fibrarum contextum rodendo, continui solutionem properat ac mortificationem inducit, magis in partibus nervosis, glandulosis, adiposis ac tendineis ob tardiorem fluidi motum, quam in sanguineis; hinc carbunculis & bubones vitio lymphæ & sanguinis sobolescunt; tumores lymphaticos & sanguineos, lymphæ & sanguinis stagnantis labe comitari solet Gangræna ut & vitio partium solidarum, circuitus sanguinis & lymphæ impeditur contusionibus, luxationibus, ossium fracturis & carie, vulneribus & venenatorum animalium morsu, quibuscumque causis, vasa sanguinea & lymphatica aut comprimuntur aut aperiuntur, ipsorumque diameter imminuitur, quibus omnibus sanguis aut hœret in vasis aut extra vasa effunditur & congeritur & putrefactionem contrahit extincto colore nativo & abolitâ contractione arteriarum capillarium, motuque sistallico omnium fibrarum fatiscente; hinc floridus partis color nativus plus aut minus intensus mutatus in pallidum obscurum sublividescentem aut ceruleum in nigredinem desinens; hinc sub colorum mutationibus caro mox tensa, nunc mollis & flaccida, quasi omni tono & elatere destituta evadit, cutisque sejungitur & aqua decolor tetri odoris effluere solet; hinc tactus, sensatio, dolorque primum acerbus ab exundante primùm sanguine, divulsoque fibrarum nervearum contexu imminuto gradatim fractoque earum tono paulatim evanescit, delitescensque magis ac magis fibrarum textura & unâ cum sanguine in dissolutionem fatiscens, pars ante calida friget; odoremque cadaverosum spirat; hinc sanguis perpetuo à corde propulsus ad partem Gangræna correptam de motu suo deperdit, nec stagnantem ac

concretum resolvere potest, nec corruptum foras expellere, ipseque remorando aut tarde progrediendo intra collaterales arterias, eamdem labem contrahit, partiumque corrupti jam sanguinis examine & effluvio inficitur, citoque malum serpendo per omnia vasa difunditur, ac circuitus ejus penitus abolitur, nisi Sphacelata pars maturè resecetur, inustaque sanguini labes corrigatur ac deleatur; sed quantum bonis ægri rebus Sphacelata partis amputatione, oportunè celebratâ, auferri porest causa morbi ex vitio locali ab extraneis orporibus oborta, tantum desperanda salus eorum, quos ab intemperie sanguinis, Gangræna corrumpit; in hoc deplorato casu incassùm dolores & cruciatus ægrotans patitur ac omni pæritiâ facta operatio artis dedecori vertitur, quæ in Sphacelo ab externâ causâ fœlicem successum habere posset.

III.

EXPERIENTIA constat sanguinem etiam laudabilem & exquisitæ indolis in vasis congestum & asservatum putrescere & sphacelum adducere, quod probatur exemplo ligaturæ fortioris quâ venis brachii & pedis arctè compressis, progressus sanguinis inhibetur & in vasis stagnans mortificationem inducit, unde patet sanguinem nullâ suppositâ labe solaque remora ac secto circulationis filo mutatâ figurâ mole & positurâ partium componentium ad dissolutionem corruptionem vergere unâ cum vasis sanguineis fibrisque carneis, tendineis ac nerveis; hinc sanguis vitio partis seu remisso fibrarum elatere ut in paralisi quandoque contingit seu à contundentibus aut comprimentibus divellentibus aut scindentibus corporibus in vasis moram trahat, aut extra vasa effundatur, eâdem putredine labefactatur; sed putredinis fons & origo supponitur vitium illud locale partique in hærens ex inflicto vulnere quo disruptæ arteriæ vel in cavitatem vel intra fibrarum interstitia nec venarum oscula sanguis subire potens. Ergo nonnisi partis resectione stagnans & putrefactus sanguis auferri potest causa morbi vitaque servari; amputatione enim oportuno tempore factâ & priusquam sanguis corrupti humoris contagio inquinetur, viget & arteriarum elater, sanguinisque progressivus motus à corde quo resectorum vasorum fibrarumque vulneris labia ad suppurationem laudabilem adduci possunt, sanguisque sincerus ad vulnus appellens, lympha fluida ac sub dulci contextum vasorum irrigans ac extremis vasorum & fibrarum finibus concrescunt novæ carnes efflorescunt eodem motu quo pristinæ in suppurationem veniunt & scarram expellunt; sic arteriarum extrema cum venis mutuo hyatu coalescunt ac impeditus sanguinis circuitus restituitur; secus verò in parte sphacelatâ à causâ internâ seu ab intemperie sanguinis quâ tumores inflammatorii & lymphalici generantur, quâre sanguis & lympha in vasis hærent & stagnant, nec nisi peræгrè circuitum suum absolvant, ampuratione etiam perite administratâ non tollitur causa morbi efficiens, sed productum morbosum; nec enim emundatur sanguinis intemperies, nec prava corrigitur illius crassis, sed & salsedinem & acrimoniam ant aciditatem & crassitiem eandem fovet, vitiumque sanguini inhærens non delebitur amputato fœmore, crure aut brachio sphacelato, & quâ labe sanguini inustâ vasorum & fibrarum congeries unâ

cùm humoribus in putredinem decidit, eâdem grassante sanguis, vitali motu privabitur, quin & dolorificis nervosarum partim divulsionibus & inordinatis ac vehementibus spirituum animalium motibus sanguis incandescit, febrisque exardescet, & tam volatilium partium dissipatione, quam motu febrili intenditur & accrescit sanguinis intemperies, quâ nec vulnus ad suppurationem perduci potest, nec vulneris labia novo lymphæ alibilis adventu aglutinari, nec ad cicatricem firmandam pervenire; sic lympha acrior ab amputatione facta aut crassior, vel non pervadet ostiola partium nutriendarum neque concrescet earum fibris, vel salsedine suâ & acrimoniâ abradet ipsarum texturam, sanguinisque effœtus magis ac magis lentescet in vasis, donec collabente motu cordis, ipse in finibus arteriosis hæreat, ac putredinalem fermentationem suscipiat, interfectoque circulationis filo, mors sphacelatæ partis amputatione, Artis Medicæ detrimento acceleretur.

I V.

UT rubra sanguinis pars per se fermentescens, à corde velut pistomio truditur intra arterias & venas, ipsiusque vis motiva basi, coni, sanguinis arteriosi, admovetur, & motus illius progressivus arteriarum contractione perpetuo fovetur, sic lympha vasorum lymphaticorum ad fermentationem inertior, facilius & citius hæret in partibus membranosis. Hinc Gangræna frequentius membranosas partes obsidet quàm sanguineas, difficiliusque curatur in illis quàm in sanguineis, quæ caloris motum diutius conservant, sopitumque recuperant; tanto enim facilius resolvi potest coagulatus & concretus sanguis in arteriis extremis, tùm impulsivo cordis motu, tùm arteriarum contractione, ac sanguinis fermentatione, quanto difficilius resolvi potest lympha lymphaticorum ad motum segnior & stagnans in partibus membranosis distansque à vasis sanguiferis; huic fracturæ prope articulos Gangrænæ incurabilis pessimum omen portendunt, artusque recisionem accelerare debent; hinc tumores partibus adiposis ad nascentes citius aperiendi, ne lympha crassior in vesiculis adiposis congesta in cadaverosam putredinem abeat priusquam tumor mollitiem acquirat. Inter memoratas causas Gangrænæ externas, locum habent topica remedia incautè tumoribus admota, ut vesicatoria tumoribus ædematoris aut unguenta, pinguia, obstruentia, aut adstringentia, frigida, tumoribus sanguineis, ut eresipelati, quæ sanguinis motum in parte coercent & sublimant. In causarum Gangrænæ internarum actione immorari non licet, quæcumque sanguinem aut plus æquo agitare valent, aut illius motum progressivum spissando obtundere, per æque fiet stasis & stagnatio in vasis, sic omnes res non naturales; maximè verò aëris intemperies, subitaneæ, mutilationes & impuritas ejusdem aëris ex miscelâ halituum quorumcumque quos ex orbe terraqueo lambendo excipit, quive halitus, seu vitriolicæ indolis, seu sulphureæ sub aëris vehiculo sanguini in pulmonibus afflantur, sanguinemque coagulant vel fermentando colliquant & acrimoniam salsam humoribus communicant. Hinc febres pestilentiales & Gangrænosæ in eadem noxas patitur corpus ab inclementiâ, incumbentis aëris qua sanguis subito spissatur

in vasis minimis habitum corporis perreptantibus flante Aquilone & feriante suppressa transpiratione, unde lymphatici tumores oriuntur; sicut tumores sanguinei ab æstu aëris corporis habitum ambientis, quo sanguis exardescit; aër diversimode & ut causa externa, artus corporis afficit frigore acuto, dùm Gangræna pedes viatorum invadit in regionibus septentrionalibus, à coagulato sanguine qui nivis affrictu resolvitur, Gangrænaque curatur; in genere humorum quorumlibet stagnantium acrimonia, aut aciditas fixitate concretione, & acutie salium vasa, & fibras exedendo, & destruendo, liquida ad instar aquarum stigiarum Gangrænam advocat, seu à sero sanguinis in aliqua parte, aut cavitate coacervato, ut in hydrope originem duxerit, seu à lympha, aut recrementis lymphaticis ut in bubone & parotide, seu ab ipso sanguine in extremis arteriis partium internarum, aut externarum cunctante à motu febrili; sic apertis cadaveribus eorum qui febre maligna variolisque aut morbilis defuncti sunt, viscera sphacelata observantur, sic variolarum pustulas nigrescentes ut & carbunculas Gangræna concomitatur, sic bubones venereos malè tractatos subsequitur; sic febres lentæ colliquativæ partium aquosarum & subtiliorum sanguinis fugâ acrimoniam salsam lymphæ & sanguini inurendo Gangrænam pariunt ut in Ludovico Decimo quarto, item febres scorbuticæ quæ sæpè in Gangrænam & sub sequentem sphacelum degenerantur; ut alimenta crassioris succi, fructus crudi acidiores & austeri sanguinem coagulant ipsiusque circuitum tardant & sub dulcem indolem mutant in acido salsum fixium; sic alimenta salita, acria, piperata, potusque spirituosi & ardentes, sanguinem accendunt & intemperiem calidam tumoresque inflammatorios Gangrænæ prodromos generant: curæ & sollicitudines animi diversis & inæqualibus cordis pulsationibus & spirituum animalium motibus nunc accelerando circuitum sanguinis, nunc removendo naturalem illius crassim alterant & intemperiem modo acidam, modo salso, acrem tumoresque modo lymphaticos, modo sanguineos & inflammatorios producunt Gangrænæ sæpè nuntios.

V.

TANDIU sanguis & lympha genuinam indolem debitamque temperiem tuentur ac servant, quamdiù libere progrediendo in finibus arteriosis & ductibus lymphalicis circuitum suum absolvunt, nullo à causis externis obice interjecto, sic partes sanguinis integrantes, globulosæ, fibrosæ & lymphaticæ debitam molem, figuram, motum & posituram conservant, ex quibus emergit forma sanguinis; hinc sanguis excrementitiis partibus defœcatur, hinc recrementorum soboles functionibus vitialibus inserviens, unde sanguis nutritur, reparatur, mundusque & integer conservatur. Ergo interposito obice circuitus sanguinis cogitur inter vasorum angustias ac vincendæ resistentiæ impar, repetitis à corde percussionibus & arteriarum vibrationibus quatitur & aterritur in minores moleculas quæ cum motui trusivo cordis non obsequantur in venas tantò majorem vim exerunt in parietes arteriarum capillarium, quanto major est resistentia fluidi recto fremitu deflectentis quandoque vasorum major tenuitas, hinc fibræ mutuo

nexu relaxatæ disjunguntur, hinc fibrosæ ac globulosæ sanguinis partes dissociantur ac mutata configuratione partim essentialium continuo tritu & affrictu vasorum & fibrarum circundantium elatere exuta sanguinis formâ discerpitur illius substantia unâ cum vasis & in purulentam materiam fatiscit; quod si sanguis aut humor congestus acrior sit, loco puris in ichorem fœtidum, cadaverosum & Gangrænosum convertitur, aut materies puris moram trahat, concretione salium & salsorum & evolutione excitatur fermentatio putrefactiva, quâ & nativus sanguinis calor extinguitur, & pars in frigidum & glaciale corpus abit solutâ exesâ fibrarum textura; ergo ad hunc scopum collimandum ut putredinis contagium arceatur & ut corruptum corruptique causæ tollantur, putrefactique aditus in venas quantocius intercludatur, sic scarrificationibus usque ad vivorum fontem auferenda causa putredinis proxima, scilicet sanguis hærens & stagnans in vasis capillaribus vicinæ partis ad corruptionem proclivis, & admotis remediis stimulantibus & firmantibus arterias & putredini resistentibus ut acceleretur suppuratio quâ destructæ vasorum & carnium fibræ à sanis separentur cum sanguine stagnante, quod si his remediis malum non cesserit, nec suppurationis signa producant, citò causa Gangrænæ efficiens cum membo auferenda etiam in majoribus artubus, ut brachium, pes & fœmur cum Gangræna ex vitio locali organi à causâ externa exorta supponitur, quæ operatio ut majoris moliminis est, industriam & curam singularem artificis arguit. Sed Gangræna eosdem artus à causâ internâ obsidens, nec ferro nec igni cedit, altioremque recessum habet & scaturiginem in discrasia sanguinis, in intemperie, ejusdem crassitie aut salsedine & acrimoniâ rapiditate, quâ sanguis ægrè à finibus arteriosis progreditur in venas, ideoque vitali motui conservando minimè idoneus; ergo Gangrænâ ab internâ causâ grassante non rescisione brachii aut pidis vita salvabitur, sed malum recrudescet, & vicinas partes serpendo depascet, tùm ex compressione vasorum sanguiferorum per splenia applicata & ligaturam fortem amputationi præviam, & majores circulationi sanguinis obices vincendi occurrunt, nec aliundè veglior reddetur vitalis motus absciſſo membro sphacelato, nec sanguis fluidior, nec subtilioris aut dulcioris indolis evadet, quin imò ab amputatione factâ sanguinis & vitium jacturâ languidior, contractio cordis & circulationis motus segnior; hinc sanguis spissior aut acrior & magis affetus, in finibus arteriosis remorabitur. Hinc lentescente magis ac magis arteriarum capillarium contractione, non promovebitur labiorum vulneris supuratio, nec circulatio sanguinis invulnerata parte redintegrabitur, sed vasorum concidentia & deperdito sanguinis motu caloreque extincto Gangræna ulterius serpendo depascet, vel imminuto gradatim circulationis motu penitùs abolebitur; ergo sæviente Gangræna à causâ internâ de ægrotante conclamatum est. His gravibus rationum momentis innixi Celeberrimo Medico resistere conati sumus cum amputandum esse pedem sphacelatum à causâ internâ pronuntiavit Domino Marchioni de Varenne, Reginæ Hispaniarum dotariæ helveticorum militum præfecto; sed nescit vox missa reverti, cum illo sentiente Celeberrimorum Chirurgorum conventu amputatio cum peritiâ administrata fuit, sed irrito labore infaustoque successu, patiensque 30. post horas fato

functus est. Præstat igitur & sani parcere dolori ægrum ineluctabili fato suo relinquere, artisque Medicæ decus & honorem integrum servare.

Non ergo, ingruente in artubus Gangrænâ à causâ internâ, eorumdem Artuum amputatio imperanda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus-Felicitas Cochu.	*M. Josephus de Jussieu.*	*M. Antonius de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Prussiæ Socius, Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor ac Demonstrator.*
M. Ludovicus-Florentius Bellot, Chirurgiæ Professor designatus.	*M. Henricus-Franciscus Bourdelin.*	*M. Joannes-Baptista Silva, Salubris Consilii Regii Socius & Serenissimi Ducis Borbonii Medicus Ordinarius.*
M. Joannes de Diest.	*M. Antonius-Joannes Daval.*	*M. Joannes-Baptista-Thomas Martinenq.*

Proponebat Parisiis, MICHAEL-JOSEP. MAJAULT, Duacenus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1738. à 6ª ad meridiem,

Typis QUILLAU, Universitatis Facultatis & Medicinæ Typographi, 1738.